




Sententia D. Simonis Musaei, De peccato originali, quod non sit substantia, Sed extrema eius Corruptio, tàm iuxta materiam, quàm formam, ut non minus Pelagianismus atq[ue] Manichaeismus excludatur & damnetur.

<https://hdl.handle.net/1874/427036>

SENTENTIA

D. SIMONIS MV-
SAEI, DE PECCATO ORI-
GINALI, QVOD NON SIT SVBSTANTIA,

Sed extrema eius Corruptio, tàm iuxta materiam,
quàm formam, vt non minus Pelagianismus
atq; Manichæismus excluda-
tur & damnetur.



IENAE
Typis Ernesti Gerani.
Anno 1572.

SENTENTIA

D. SIMONIS M.V.

SALVE PECCATO ORA

GINALTOUO NON SIT INSTANTIA

Sed etiam in Corpore tam iuste utitur
per se iustum et legitimum. Per se iustum
non est. Nam iustum est iustum.



LENAE

Typis hinc in Germania

Anno 1772

PIO LECTORI SALVTEM

& veram Cognitionem Saluis
ficæ veritatis.

Postquam mota est controuersia & quæstio
longè grauissima & acerrima de peccato ori-
ginali, An sit substantia vel Accidens ma-
lū, idq; inter viros vtrobiq; mihi longè ami-
cissimos: Non destiti pro mea cum eis con-
iunctione, & in Ecclesiam fide, totis viribus laborare, &
intercedere obsecrando, & monendo, vt incendium lon-
gè nocentissimum, priuato colloquio & sine publico
scandalo, placidè inter se ipsos sopirent & extinguerent:
Sicut vtriq; parti probè constat.

At vbi cum acerbissimo dolore & mœrore animad-
uerti, voto ac conatui meo successum minus responde-
re: Omnino decreueram, tacitis precibus & gemitibus
certamen hoc Deo commendare, & lætam eius catastro-
phen quietus expectare. Verum præter omnem expecta-
tionē, D. Matthias Flacius Illyricus, amicus & compater
mihi carissimus, ad publicam declarationem meæ sen-
tentiæ planè inuitum me protraxit, dum toties in editis
libris suis, ceu testem & approbatorem suæ sententiæ, ad-
uersus antagonistas allegauit, & prouocando ad meum
suffragium multorum oculos in me coniecit, qui cupidè
respondum meum expectant & flagitant.

Licet igitur iuxta carnem haud leues existant remo-
ræ, quæ mihi ab vtraq; parte certantium magnā difficul-
tatem gignunt & obijciunt: Vtpote quorum vtrosq; mul-
tis nominibus longè carissimos habeo: Et inter eos te-
stari, perinde mihi videtur, atque disceptare inter meos

ipſius oculos & manus, Vtrius potius iacturam facere
mallem, cum ambos retinere incolumes optatiſſimum
eſſet: Veruntamen cum hic laboret cæleſtis veritas, &
periclitetur mea conſcientia, quæ non modò vniuerſis
amicis, Sed etiam ipſi vitæ, longè ſit anteponenda, ſepoſi-
to omni reſpectu perſonarum ingenuè & ſimpliciter,
quid ſentiam, exponam.

Prius tamen quàm ad caput rei accedam, operæ pre-
cium eſſe arbitror, vt pauca de cauſis tantæ cunctationis
præmittam, ne quis tergiuerſandi ſtudio factum eſſe ſu-
ſpicetur. Fateor ſilentium à me commiſſum diuturnius
eſſe, quàm vt Eccleſiæ afflictæ expediat. Verum tamen
facile me excuſat, controuerſiæ grauitas & nouitas, in
qua alij excellentiori dono iudicandi Spiritus præditi
celerius medium eius (vt vocant) animaduertere, & ab ex-
tremis ſecernere potuerunt. Ego verò imbecillitatem &
tarditatem meam libenter agnoſco, & fateor plurimis
precibus ad Deum, intentiſſima meditatione & excuſio-
ne ſcripturæ, deniq; etiam acerrimis diſputationibus &
frequentiſſima collatione cum amicis mihi conſtitiffe,
donec vix tandem ex denſiſſimis huius diſputationis ve-
pribus & laqueis eluctatus & extricatus ſum.

Arbitror etiam in cauſa tam difficili, & gloriam
Dei ac ſalutem Eccleſiæ concernente, multò eſſe tutius
& conſultius, tardum quàm præcipitem eſſe. Temeraria
enim præcipitantia, neceſſario gignit aut incorrigibilem
pertinaciam defendendi etiam aperte falſa, poſtquam
ſemel ea inconſulto animi motu arripuit, ne erraſſe videa-
tur: Aut probroſam conſuſionem & leuitatem hinc inde
fluctuandi & tergiuerſandi, quando conſcientia non re-
perit Solidum fundamentum, in quo firmiter pedem
figere,

figere, & ignem tentationis ferre queat. Ad quod periculum euitandum, scriptura lentam festinationem præcipit. Velut Apostolus Paulus 1. Timoth. 5. Cum vehementi obtestatione monet: Obtestor in conspectu Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & omnium electorum angelorum, vt hæc serues sine præcipatione iudicij, nihil faciens iuxta propensionem animi. Item, Syrarides 33. cognosce rem prius certò, & deinde loquere de ea, tunc poteris respondere interrogantibus te. Ité, Salomo prob. 18. Qui responder antequam audiuit, prodit suam stoliditatem & futilitatem.

Toto igitur pectore prædico ingens Dei beneficium, qui Spîritu sancto ducit nos in omnem veritatem, quod me quoq; conferentem & ponderantem vtriusq; partis scripta & argumenta, tandem ex omnibus dubitationum fluctibus ad tutum & rranquillum portum immotæ & orthodoxæ sententiæ traduxerit, in qua vera sententia sine omni scrupulo conscientiæ acquiescere possem, & Deo me corroborante persistere constitui.

Non diffiteor, me initio pullulantis controuersiæ de peccato originali commutatis literis cum D. Illyrico contulisse: Idq; factum est pro veteri nostra consuetudine quam Ienæ, in alijs quoq; negocijs sæpe numero vsurpaueramus. Respexi tûc temporis ad bonitatem causæ, quam contra Victorinum ruebatur: Intentus etiam fui ad principalem eius disputationis scopum, quod totus in refutâdo Synergismo versaretur. Cumq; in suis literis ad me contenderet, eam corruptelam nullo modo posse potenter profligari, nisi assereretur peccatum originale esse substantiam, a Satana autore profectam: respondi me quidem solida refutatione Synergismi ex animo gaudere, & statue-

statuere nihil satis grauiter in atrocitatem peccati originalis dici posse: Veruntamen prædurum & absurdum videri, Si peccatum originale diceretur substantia, utpote quæ simul materiam & formam hominis specificam complectatur. Coeterum si omninò præter vsitatum hætenus morem ad exaggerationem eius addere aliquid vellet, mitius & lenius fore, si relicta materia solam formam essentialem virgeret, &c. Hæc fuit summa habitæ inter nos collationis de peccato originali, in omnibus meis Epistolis ad D. Illyricum.

Ingenuè autem fateor me tum nec recte expendisse, quòd forma essentialis sit ipsa substantia hominis sic condita à Deo, nec perspexisse satis, quo tenderet D. Illyricus illa nouitate phrasiû. Sicut idem accidit alijs doctoribus, ut nec ipsi hunc errorem in libro, quem D. Ireneus Victorino opposuit, animaduernerint & olfecerint. Quis enim in amicis & propugnatoribus veritatis erronei quidpiam metueret. Qualiseunq; autem tanto tempore mea fuerit cum D. Illyrico collatio, certè nihil minus volui & speravi, quàm ut res tam ardua & hætenus inexplicata, ex meo solius, & aliorum paucorum incerto consilio, & ambigua ventilatione, statim veluti certò definita & demonstrata in publicum euulgaretur quæ potius integræ Synodi deliberatione & determinatione opus haberet.

Conscijs enim mihi tenuitatis meæ nequaquam tantum mihi vendico, ut mox primo intuitu, qualibet in re verum cernam, & medium (ut vocant) iacens inter extrema acu tangam, Sed sæpenumero, quasi cœcus in tenebrosa nocte, hinc inde incertus & vagabundus nauigo, donec vix longis ambagibus ad optatum portum
quæ.

quæsitæ veritatis appello, adiutus lectione librorum, con-
silio fratrum, & præcipuè imploratione Spiritus san-
cti.

Video quoq; hanc imbecillitatem mihi commu-
nem esse cum multis excellentissimis viris. Luthero
enim sanctæ memoriæ quid sublimius? adeo, ut nos eius
discipuli Corrigia calceorum eius soluere indigni simus;
Tamen non pudet eum passim in suis monumentis fate-
ri, se subinde discendo docere, & multa posterioribus co-
gitationibus penitus introspectâ emendare & retractare.
Grauiter etiam increpat præsumptionem ac confiden-
tiam hæreticorum, qui nullum discrimen nec delectum
habeant inter suas cogitationes, sed omnes promiscue,
pro meris oraculis mordicus arripiunt, pertinaciter defen-
dunt & Ecclesiæ obtrudunt, cum grauissimo eius damno
& turbatione.

Imò quid dico de Luthero, ipsos Apostolos, Eccle-
siæ columnas aspice, in celeberrimo consensu & concilio
Hierosolymis in Spiritu sancto congregato, teste Luca,
Acto. 15. quàm dissimilibus sententijs, de quæstione, An
circumcisio gentibus tanquam necessaria ad salutem sit
imponenda, inter se configant, & digladiantur, aliud
alio censente, & multis multa incommodè effertentibus,
donec tandem reuelatione Spiritus sancti, discussis erro-
rum tenebris, veritas per Paulum, Petrum & Barnabam
in lucem emergit, cui vniuersus cœtus humiliter assur-
git, & de suis conceptis opinionibus cedit. In tali casu, si
quis ante inuentionem & decisionem veri, varias singu-
lorum emissas voces, *anxi. b. d. s.* & nimis morosè obseruasset,
& veluti autenticas in publicum sparsisset, næ iste iustam
reprehensionem incurrisset, tanquam autor scandalo-
rum,

tum, & seminator maiorum distractionum in Ecclesia.

Salomo prob. 2. monstrans rationem quærendæ & inveniendæ veritatis inquit, si pro sapientia multum ad Deum suspiraueris, & eam quæsieris veluti argentum, & scrutatus fueris veluti thesauros, tunc demum agnitionem Dei inuenies: Nimirum innuens, sapientiam verbi diuini, non ita esse obuiam, vt à quolibet primo statim obtutu, in omnibus casibus sine labore cerni queat, Sed opus esse ardentissima Spiritus sancti imploratione, & solerti indagatione, quali aurifossores in eruendis metallis vti solent.

Non tamen id torquendum est ad criminationem sacræ scripturæ, quasi per se sit obscura, sicut papistæ non sine blasphemia ipsam calumniantur & contumeliosè infestantur, contra asseuerationem decimi octauæ Psalmi: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Sed nos ipsi potius extrema cæcitate laboramus, & à Satana fascinamur falsis opinionibus, quas non ex limpido fonte Israel haurimus, sed in tenebroso cerebro nostro natas, in scripturam ingerimus, Et tanquam proprios fœtus multo impensius admiramur, & tenacius retinemus, quàm infallibilia oracula Spiritus sancti. Reuera enim nihil difficilius est, quàm iuxta præceptum Pauli 2. Corinth. 10. ducere captiuam omnem cogitationem, quæ se extollit aduersus cognitionem Dei.

Spiritus sanctus igitur volens nostræ fragilitati consulere, & ansam publicorum scandalorum & errorum præcidere, concedit iustum spacium inuestigandi veritatem: Dat etiam veniam hallucinantibus intra priuatos parietes, & seueriter vetat eliminare arcana dicta & ocu-

occulta consilia ac deliberationes, utpote quibus semper aliquid incommodi adhæret. Quemadmodum Syracides 42. dicit, Pudeat te publicare, quæ audiisti, & prodere sermones fidei tuæ creditos. Item, Cap. 27. Patefaciens secreta, amittit fidem, & nunquam consequitur fidum amicum: Præstes fidem amico: si autem arcana eius effu- tiueris, nunquam eum recuperabis. Item, paulò post ibi- dem: Vulnere sanantur, & conuitia expiantur, sed qui pandit secreta, cum eo prorsus conclamatum est.

Valdè igitur oprarim, iuxta hæc Spiritus sancti mo- nita, à D. Illyrico prudentiam in præsentì controuersia fuisse adhibitam, & publicationem eius vna cum priua- tis amicorum collationibus & arcanis literis non ita te- merè fuisse præcipitatum: Tunc sine dubio minus nunc esset hostilium animorum, & horribilium scandalorum, in cælum vsq; clamantium: quæ vereor auctori ipsorum horribiles aliquandò morsus conscientiæ paritura, nisi matura & seria pœnitentia ipsa anteuertit: Id quod ei ex animo precor.

Porro ut aliquantò propius ad caput rei accedam: Nullum dubium est, quin duæ istæ hæreses, Manichæo- rum videlicet & Pelagianorum, peculiare technæ & ma- chinæ sin à mendaci Satana contra articulum de pec- cato originali extructæ & productæ, quibus nos à Salu- tari medio (ut vocant) ad damnabilia extrema deuolue- re, & præposteram confusionem & inuersionem vniuer- sæ Theologiæ abducere conatur, ut bonum malum, & malum bonum pronunciemus, & utroq; modo Deum nostrum conrumelia afficiamus, contra seuerissimam comminationem Esa. 5. Væ vobis, qui dicitis malum bo- num,

B

num, & bonum malū, & qui ponitis tenebras in lucem
& lucem in tenebras. Quemadmodum enim Pelagiani
contendendo substantiam hominis, vnā cum omnibus
viribus adhuc esse integram, vel (vt Synergistæ, ipso-
rum soboles, mitius ac moderatius loquuntur) aliquas
saltem scintillas ad cōuersionem nostri post lapsum mā-
fisse reliquos, faciunt ex tenebris lucem, & contradicunt
seueræ iusticiæ Dei in lege patefactæ, quæ indicat vniuer-
sos homines extremè esse corruptos, malos & spirituali-
ter mortuos: Ita vicissim Manichæi vrgendo ipsam sub-
stantiam hominis esse peccatum, faciunt ex bono Dei
opere opus Satanae, & impingunt in bonitatem Dei: Quo-
rum vterq; error, tanq; exitialis scopulus in mari, & verè
infernalis Scylla & Charybdis, summa circumspectione
præternauigandus est, omnibus pijs, tendentibus in æter-
nam patriam.

Sicut igitur contra Pelagianos, & ex his natos sy-
nergistas, disertè profiteor, peccatum originale esse tota-
lem corruptionem, non tantum accidentium in nobis,
sed etiam totius substantiæ, tam secundum materiam,
quàm formam, vsque adeò atrocem, vt in corpore &
anima extincta sit omnis sapientia, iusticia, & conformi-
tas cum Deo, vitæq; spiritualis: & fractæ sint penitus
omnes vires, mens excoecata, & plena stulticia, volun-
tas auersa & inimica Deo, & cor distortum, rebelle &
inobediens, Denique totum liberum arbitrium in spi-
ritualibus penitus amissum, & totus homo reus sit æter-
næ abiectiois: Et neque proprijs viribus, neque vllius
creaturæ adminiculis inde eluctari queat, nisi omnes
nos restituendos concurrant: Pater gratuita remissio-
ne culpæ

ne culpæ & poenæ, & acceptatione ad vitam æternam per filium mediatorem. Filius suo immenso merito & efficacia: Spiritus Sanctus sua regeneratione, qua nos spiritualiter mortuos propter Christum viuificat, & amissam imaginem Dei in nobis inchoat & instaurat:

Ita è regione contra omnes Manichæos veteres & recentes constanter profiteor, peccatum originis nequam esse substantiam à Satana conditam: neq; substantiã à Deo conditæ deletionem; neq; esse ipsam animam, aut rationem, aut cor hominis; neq; esse formam substantialem hominis; sed simpliciter affirmo peccatum originale esse accidens, hoc est, totalem corruptionem totius hominis, animæ & corporis, inuectam à Satana spiritu mendace & homicida.

Optarim quidem à foro Theologico, & ab expositione articulorum fidei, philosophica vocabula procul remoueri; Sed quia autores nouorum certaminum in Ecclesia, nouos terminos gignunt, & linguam spiritus sancti corrigere conantur: vocabula nobis vsurpanda sunt, quæ clarè nouos errores refellunt.

Turbauit aliquantisper me quoque in hac controuersia & disputatione vox Accidentis, utpote quicuius uulgarem & nimis puerilem definitionem (accidens est quod adesse vel abesse potest citra subiecti corruptionem) à puero usque in Dialectica imbiberam. Verum cum videam eam ab antagonistis D. Illyrici, multò latius extendi, & accipi uniuersaliter pro omni re, quæ non est substantia, sed est in alio mutabiliter, ita ut compræhendat totum chaos malorum, quod per lapsum primorum parentum nostram naturam occupa-

pauit, & destruxit non tantum eius accidentia, sed ipsam quoque substantiam, ita ut ad bonum coram Deo faciendum planè sit mortua, & in seruitutem Satanae redacta. Acquiesco huic declarationi, præsertim cum hac voce usus sit non solum Lutherus, sanctæ memoriæ, verum etiam Augustinus & alij orthodoxi patres, ad retundendum Manichæismum.

Non arbitror autem magnopere necessarium esse, ut huius meæ sententiæ, quam verbis perspicuis, coram Deo & sancta eius Ecclesia profiteor, multa hic recitem argumenta, & testimonia scripturæ, piæ antiquitatis, & recentiorum orthodoxorum interpretum. Id enim ab antagonistis Illyrici, abundè satis & neruose factum est, præsertim in antidoto D. Heshusij generi mei charissimi, cuius posita fundamenta nulla sophistica conuelli posse certissimus sum. Ideò lectorem cupidum cognoscendæ veritatis eò remitto.

Vt tamen pij animaduertant, me à nullius hominis authoritate pendere, sed in timore Dei seriò inquisiuisse immota fundamenta veræ & piæ sententiæ, quibus conscientia mea in conspectu Dei tutò nitì potest: Contrariam totam controuersiam in breuissimum compendium, & quasi ob oculos spectandam proponam, ut quilibet etiam rudissimus facillè eam intelligere ac iudicare queat. Quamuis enim Illyricus plurimos & varios de ea libros conscripserit, tamen quotquot hæcenus mihi legere contigit, nihil aliud vrgent, repetit & inculcant, quam istam propositionem: Peccatum originale est substantia, idque ipsdem ferè fundamentis & allegatis, quæ ad suum sensum collegit & accommodauit. Hoc tanquam ingentis cuiusdam ponderis & momenti ædificium gestans Ecclesiam

siam quatuor columnis fulcit, munit, & corroborat, quæ omnes ad causam efficientem spectant, & tanquam architecti ad construendum & conseruandum hoc ædificium copulantur: Veluti Deus cum sua maledictione; Satan cum sua seductione; Homo cum sua defectione, & Phisica natura cum sua corruptione & generatione. His quatuor columnis seu architectis inuicto ariete sacre scripturæ deiectis, euerfis, & subrutis, ipsum ædificium vna cum omnibus suis contentis penitus concidere, & de summa rei debellatum iri, nemo opinor inficias ibit.

Ne quis autem suspicetur, prædictam copulationem columnarum & architectorum, à me ipso confictam contra Illyrici sententiam, producam ante euerfionem eorum, proprium ipsius testimonium, ex fol. 299. proluxæ eius confessionis recens editæ, vbi inter cætera in hunc modum scribit: Neq; ego subtiliter inquirere volo, quis & quantum in hac horrenda hominis metamorphosi effecerit: Quantum Satan homicida, quantum etiam propria hominis culpa, seu voluntaria apostasia, quantum deniq; maledictio & iustissima pœna Dei, ob inobedientiam illam infligens homini istam spiritualem mortem, iuxta minacem sententiam, morte morieris: Quia ista imperscrutabilia sunt: Satis hoc esse debet, ex optima arbore, nobilissimaq; vite in pessimam transmutatum, ex filio & semine Dei, in semen viperæ, &c. In his verbis euidenter peccatum originale vocat metamorphosin & transmutationem formæ substantialis optimæ, in formam substantialem pessimam, effectam à diuersis causis efficientibus: Et quia ipse quoq; meritò de eis dubitat, quid & quantum singulæ ad structuram peccati conferant, exigamus eas ad amussim sacre scripturæ, tunc ma-

gis eluceſcet, quàm plaſphema, impoſſibi lis, & abſurda
ſit hæc propoſitio, peccatum originis eſt ſubſtantia.

Primò producit Illyricus Deum, quòd ſua maledi-
ctione hominem ex optima forma in peſſimam mutaue-
rit. Sicut folio, 428. ſuæ confeſſionis increpans D. Heſ-
huſium dicit: Relinquat ergò concedatque iſte philo-
ſophotheologus tantum Dei ſapientiæ & omnipoten-
tiæ, vt & perdere poſſit res, ſuæque maledictione & pœ-
na ita ex optima forma mutare in peſſimam, vt tamen
eas non proſus deleat &c. Hic obſecro cogitet pius le-
ctor, an vlla ratione ſcriptor horum verborum poſſit
effugere crimen Manichæiſmi, vel ipſe Deus excuſari,
quòd iuxta hanc blaſphemam vocem non ſit autor pec-
cati, quandoquidem ſua ſapientia & omnipotentia af-
firmatur mutare optimam hominis formam in peſſi-
mam. Huic ſimilem Manichæam blaſphemiam de
Deo effundit folio, 199. Vbi dicit, ſubſtantiam Diabo-
lorum à Deo quidem creatam, ſed in lapſu, teſte tota
ſcriptura, eſſentialiter ex optima in peſſimam formam
ſubſtantialem tranſformatam: Ita vtrobique tam in
Diabolo quàm in homine facit Deum authorem peſſi-
mæ formæ, quæ ſit ſubſtantia, quo quid horribilius di-
ci poteſt? Nam iſto modo Illyricus reuera ex Deo fa-
cit ipſum Diabolum, dum ei aſcribit effectiorem no-
uæ formæ ſubſtantialis, nempe mali culpæ. Econtra
ex Diabolo ipſum Deum facit, dum ei tribuit creatio-
nem nouarum formarum ſpecificarum, quod ſoli Deo
conditori proprium, Satanæ verò ſimpliciter impoſſi-
bile eſt.

Tribuit

Tribuit quidem sacra scriptura Deo malum poenæ, sicut ipse Deus affirmat. Esaiæ. 45. Ego sum Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Item Amos. 3. Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Ira etiam pro sua seuera iusticia, tam angelis quam hominibus ob ingratitude[m] malum poenæ infixit, & sua maledictione tam iuxta materiam quam formam destruxit deservendo & priuando eos collatis ingentibus bonis, videlicet sua imagine, inhabitatione & gubernatione spiritus sancti, vita & benedictione: Sed neque formam neque materiam nouam eis dedit, deleta priore: Sed horribiliter corruptos & spoliatos omnibus bonis permisit ruere & furere contra normam legis, donec eos abijciat in æternas poenas.

Verum malum culpæ nequaquam Deus operatur, neque promouet, sed potius destruit & detestatur extremè. Iuxta hæc dicta Zach. 8. Ne cogitetis malum aduersus proximum in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odit dicit Dominus. Item Psalm. 5. Quoniam tu es Deus, cui non placet iniquitas, neq; morabitur apud te malum. Item Syrach. 15. Deus neminem iubet impium esse. Item Hose. 13. Perditio ex te Israel, sed à me auxilium tuum. Item Iacob. 1. Ne erret is fratres mei dilecti: Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est à patre luminum, apud quem non est **TRANSMVTATIO** (nota hic expressè damnari Illyrici opinionem) **AUT CONVERSIONIS OBVMBRATIO.** Item Deut. 32. ascribens Moses apostasiam & maliciã Iudaeoru[m] propriæ ipsorum culpæ, & Deu excusans inquit:

Fidelis est Deus, & non est iniquitas in eo, iustus & rectus est, sed generatio prava & perversa peruersè egit contra Deum: Nōne ipse est tuus pater, qui te fecit & parauit &c. In hisce testimonijs scripturæ iusticia & bonitas Dei quasi pignori nobis opponitur, quòd peccatum originis non sit substantia seu substantialis forma ab ipso cōdita.

Deus igitur suam seueram iusticiam ita temperat in puniendis ingratis creaturis rationalibus, & in operando malo poenæ, ne suam sanctitatem & bonitatem in efficiendo malo culpæ amittat. Si enim in minima saltem parte, iuxta Illyrici opinionem aliquam iniustam substantiam, materiam vel formam, sua transformatione efficeret, vel quoquo modo iuuaret, amitteret prorsus suam diuinam iusticiam & non esset Deus. Sicut saniores Ethnici quoq; senserunt, vt Euripides in Bellerophon-te, inquit: *ἢ θεοί τι δρώσιν ἀίχρον, ἀν' εἰσὶν θεοί.* Et Plato relictissimè dicit *πολιτ. pag. 390. κακῶν δ' αἰτίου φάναι θεοῦ τι γίγνεσθαι, διαμαχητέου παντί τρόπῳ, μή τι τινὰ λέγειν, &c.* Huic sententiæ suffragatur etiam Iulius Scaliger, quem Illyricus in libello de angelo tenebrarum allegat in hunc modum scribentem; Quòd & in sacris libris scriptum est, Deus cum fecisset omnia, cognouit esse bona. Non enim à summo bono potest aliquid non bonum vel fieri vel conseruari. Item Gabriel Biel, quem ibidem similiter citat ex dist. 30. secundi libri dicentem, Voluntas hominis non est à Deo facta curua. Nam Deo factore nihil fit deterius secundum Augustinum, lib: 83. Quemadmodum igitur prorsus blasphemum, & verè Manichæum est dicere, Deum esse autorem & promotorem mali culpæ, quod impossibile est in eum cadere, propter infinitam eius iusticiam, sanctitatem & bonitatem: Ita reuera blasphemum

phenium & Manichæum est, affirmare hominis formam
substantialiorem bonam à Deo mutatam in substantialem
contrariam: Satis est dicere quòd maledictione in poe-
nam sit perditus, omni bono spoliatus, à gubernatione
spiritus sancti desertus, & à Satana homicida interfectus.
Atque hoc modo primum fulcrum structuræ Illyrici,
quòd peccatum originis sit substantia vel forma substan-
tialis irrefragabiliter autoritate scripturæ est deiectum
& prostratum. Hinc accidit, vt nullo modo solidè solue-
re possit oppositum Syllogismum: Omnis substantia aut
est æterna, aut condita per filium: Peccatum autem ori-
ginis est neutrum horum. Ergò peccatum originis non
est substantia. Item hunc Syllogismum. Si peccatum ori-
ginis est substantia, aut est conditum ex nihilo, aut ex
materia præexistente. Teste Mose Gen. 1. Sed neutrum
horum concedendum est. Igitur peccatum originis non
est substantia.

Secundò, cum ipse Illyricus sentiat præsens peri-
culum & palpabile crimen blasphemix in Deum, idè
parcius de ipso loquitur, & totum se vertit in Satanam,
tanquam secundum & validissimum fulcrum & archite-
ctum suæ structuræ. Estq; hic mirè lubricus, & minimè
sibi ipsi constans. Interdum enim supra modum extollit
potentiam Satanae, ita vt non vereatur audacter asseue-
rare, facile ei fuisse hominem ex bona forma substantia-
li transmutare in contrariam formam specificam, & quã-
dam nouam creaturam & substantiam. Sicut fol. 191. facie
altera suæ confessionis expressis & formalibus verbis di-
cit: Imaginem à Satana conditam nõ minus esse substan-
tiam & formam specificam atque illam primam à Deo.
Nota hoc. Item fol. 502. dicit: Illa tanta vis & maliciosa
C natura,

natura, omnino quædam creatura est. Idem asserit in mille alijs locis, ita vt dicere cogar ab Illyrico angelum te-
nebrarum non tam detectum, quàm ad summos & tantum non ad diuinos honores euectum, & potentia creando nouas species & substantias ipsi Deo æqui paratum. Id si rescuerit Satan, multò superbius ostentabit suam potentiam erga nos, quàm erga Christum Matth. 4 & dicet: Hæc omnia sunt mea quæ do.

Verum sentiens & hic Illyricus suum excessum, quòd opus planè impossibile tribuat Satanae, videlicet facultatem delendi substantias & essentielles ac. specificas formas, & condendi nouas, ideò mox reflit, & varia *κρησφύγεται* querit, & mirè se huc illuc torquet & titubat, mitigando vocabulum conditionis & creationis. Sed quò magis mitigat, tantò plures absurditates & *αλλογίας* cumulat. fol. n. 191. dicit, Satanam non condere imaginem suam in nobis, sed esse eius autorem quoquomodo, sibi ipsi ex diametro contradicens, cum in proximè præcedente paragrapho dixisset, quòd imago à Satana non minus sit substantia, quàm illa prima à Deo.

Similem mitigationem ponit etiam fol. 239. & innuit, substantiam & formam fieri, non per aliquam omnipotentem creationem, aut formarum infusionem, sed per inuersionem & peruersionem prioris optimæ formæ, sicut fabri pulcras domos diruunt & incendiarij Syluas in cineres redigunt, & ancillæ ex lacte butyrum efficiunt &c. Vide obsecro pie lector notiam absurditatem, quòd substantiæ & formæ essentielles etiã sine omnipotenti creatione à Satana, Imò etiam à quibuslibet fabris & ancillis effici possint. Quis sanæ mentis vnquàm dixit, dõm exstructam esse substantiam fabri? Num faber ædificans domum

num transmutat substantiam seu essentialem formam lignorum vel lapidum in nouam substantialem formam?

Eodem modo scribit folio 349. Disertè ostendo me Satanæ tale condere tribuere, quale fabris ædificum, peruertentibus bonas domos. Obsecro potest ne tribui tantum potentiaë Satanæ in impijs, quantum malis fabris, bona ædificia in tristem aliquam formam perdacentibus, citra iniuriam creatoris? Num etiam fabri murarij ac lignarij, quia dicuntur domos condere, mox erunt creatores &c. Hic Illyricus se ipsum refutat, dum Satanam tanq; causam efficientem extenuans, aperte fateretur, eum non magis posse substantias, vel ipsarum essentialia partes materias & formas delere & nouas condere, atq; fabri, qui ædificando domos lignorum & lapidum formas tantum accidentaliter non essentialiter mutant. Et tamen nihilominus persistit in propositione sua. Peccatum originale est substantia: Et tribuit Satanæ conditionem substantiaë & formæ essentialis. Quid hoc aliud est, quàm contra omnem etiam rationem fateri? Et causam quidem efficientem reiicere tanquam impotentem, effectum autem nihilominus solidum & perfectum ei tribuere? Cur non Satanam relinquit in suis debitis limitibus, videlicet quod nihil ædificet, neque essentialiter formet, sed à Deo pulcherrimè ædificata & formata ipse foedissimè destruat & deformat. Hoc artificium probè nouit, & ab eo sortitus est nomen Abaddon & Apollyon Apo. 9.

Tam igitur testimonio scripturæ, q; ipsius Illyrici suffragio tanq; falsus creator formarum substantialium exturbatus est ex cohorte columnarum & architectorum huius Manichæi ædificij: Peccatū originale est substantia,

Vicinum igitur iam est ruinæ, quandoquidem ei validis-
sima duo fulcra & subtracta sunt, & euidenter demon-
stratum, Deo quidem tribuere conditionem substantiæ
peccati, esse blasphemum. Satanæ verò impossibile.

Restant deinceps tantum duo adhuc omnium vi-
lissima & fragilima sustentacula, videlicet, homo cum
suo lapsu, & physica natura cum sua corruptione & gene-
ratione, quæ sua sponte nemine impellente collabuntur.

Quod ad naturam physicam attinet, nemo non vi-
det, quàm sit absurdum & ab apostolo Paulo vetitum, ne
carnalia comparemus spiritualibus, neue philosophiam
intrudamus theologiæ, tanq; prædonem saluificæ veri-
tatis, coloss. 2. Non minus physica regula est, Ex nihilo
nihil fit, Atq; corruptio vnius est generatio alterius, Et
tamen intromissa in theologicum forum negabit crea-
tionem vniuersitatis ex nihilo. Ideò non sequitur argu-
mentatio: In cursu naturæ corruptio vnius est generatio
alterius, Ergò etiam in foro theologico corruptio bonæ
formæ substantialis, est generatio malæ.

Multò minus nostra defectio peperit nouam sub-
stantiam, vel formam substantialem, sed tantum destru-
ctionem substantiæ tam iuxta materiam quàm formam
sibi accersuit, dum iram & maledictionem Dei concita-
uit, vt acceptis bonis cœlestibus, originali sapientia, iu-
sticia, vita & libertate spoliaremur, gubernatione spiri-
tus sancti destitueremur, & Satanæ tyrannidi & æternæ
damnationi subiceremur.

Ex hisce igitur omnibus certò & infallibiliter sequi-
tur iste Syllogismus, ex enumeratione sufficientium par-
tium sumtus. Si peccatum originale est substantia, tunc
necesse est aut à Deo, aut à Satanæ, aut à naturæ vi, aut à

nobis ipsis esse exortum, & effectum; Sed propter prædi-
ctas irrefragabiles causas à nullo horum est effectum.
Ideò peccatum originale non est substantia. Hic nemo
non videt, quàm turpiter humili strata iaceat noua stru-
ctura Illyrici, Peccatum est substantia, subductis & euer-
sis omnibus eius columnis, ita vt eius conditio & conser-
uatio Deo assignata propter eius bonitatem prorsus sit
blasphema: Satanæ autem & toti naturæ ascripta pro-
pter impotentiam planè impossibilis. Et tamen propter
eam Illyricus non veretur tantas turbas & scandala in
Ecclesia Dei excitare, ad iudicium Dei tam ferociter
prouocare, fidelissimos & optimè de Ecclesia meritos
Doctores, VVigandum & Heshusium acerbissimis & con-
tumeliosissimis conuitijs proscindere & lacerare & infra
omnes hæreticos & proditores veritatis abijcere. Bone
Deus, quò ruis tandem mi frater? An non putas, consci-
entiam tuam iam fascinatam & altum dormientem, ali-
quando euigilaturam? An non metuis iudicium Dei,
quod toties & tam iniustè prouocasti, aliquando ventu-
rum, nisi ad thronum gratiæ supplex confugeris? Scis
quid Iacobus 5 dicat, Nolite ingemiscere alius aduersus
alium, fratres, vt ne condemnemini. Ecce iudex ante ia-
nuam assistit.

Agnosco me respectu tuorum donorum longè esse
inferiorem, quàm vt te doceam, tamen cum autumas, te
initio motæ huius controuersia, meam sententiam licet
dubitanter & disputatiuè propositam tanti fecisse, vt
mox arreptam & insertam clauituz, in publicum edide-
ris, & hactenus cum tanto Ecclesiæ scandalo & pusillo-
rum Christi turbatione pertinaciter defenderis, tantò
magis decet te nunc mihi auscultare, cum eandem cor-
rectam,

etiam, & à tuis antagonistis solidis scripturæ & omnium
orthodoxorum patrum testimonijs & fundamentis de-
monstratam definitiuè tibi communicem. Satius est
cum pœnitentia, tot libros in hac controuersia frustra
cum magno Ecclesiæ detrimento editos penitus abijcere
& retractare, quàm facere iacturam æternæ salutis, & su-
bire horribile fulmen comminationis filij Dei Matth. 18.
Væ homini per quem venit scandalum.

Huic fraternæ admonitioni si obtemperaueris, &
erratum tuum ad gloriam Dei & sauciata Ecclesiæ sa-
nationem & conscientiaæ tuæ liberationem publicè con-
fessus & deprecatus fueris, non solum latissimum tri-
umphū Deo & sanctis angelis præbebis, sed etiam ab vni-
uersa Ecclesia materno sinu & complexu excipieris, non
minus atq; Petrus olim ex hūana fragilitate Antiochiæ
claudicans, & Augustinus retractans plurimos errores.
Vniuersi pij memores vtilissimorum laborum &
meritorum tuorum ex animo condolebunt tibi, quod
lapsus iste tibi acciderit, in sanctissimo conatu & lauda-
tissimo proposito, cum aduersus Synergisticum & Pela-
gianum dæmonem, in Victorino pro veritate fortiter
dimicasti. Non enim rarò vsu venit, in acribus prælijs, vt
cum animosi & heroici bellatores hostem persequuntur,
feriunt & profligare conantur, præ nimio feruore iusto
longius euehantur, debitos limites transfiliant, & seip-
sos vulnerent. Quemadmodum plurima exempla hu-
iusmodi excessum in militibus Ecclesiæ testantur, qui
iuxta prouerbium fugientes Syrtim, inciderunt Cha-
rybdim, id est, dum vnum extremum oppugnarunt, al-
terum incurrerunt, quorum quidem aliqui monitu fra-
trum, reuocato gradu lucrifacti & seruati sunt; Alij verò
obdurati

obdurati & fascinati, deserto & abiecto medio veritatis,
in damnabilibus extremis hærentes perierunt.

De seruatis illustre exemplum extat in amicis Hiob,
qui dum certant pro iusticia Dei, quòd nullum in fontem
vnq; affligerit, negant eius paternum consilium in pro-
bãdis cruce pijs, & mortificãdis reliquijs carnis aduersus
securitatem. Propter quod erratum Deus vsq; adeò con-
tra eos excaudit, vt fuisset eos interfectorus, nisi inter-
cessione & precibus Hiob fuisset placatus. Non enim res
ludicra est, coram Ecclesia falsa & fanatica dogmata &
absurda paradoxa pertinaciter tueri.

De pertinaciũ verò & incorrigibilium salute meri-
tò dubitatur. Veluti hodie Stancarus volens repellere O-
siandrum contendentem Christũ iuxta solam diuinitatẽ
esse nostram iusticiam, impegit in alterã partem, asseue-
rando, Christum iuxta solam humanã naturam esse no-
stram iusticiã. Et ita vterq; in extremis hæsit, & à mediò
discessit, quod docet nostram iusticiam proficisci à tota
persona, & concurrere ad eam actiones vtriusq; naturæ.

Similiter D. Georgius Maior vindicat nouam obe-
dientiam, contra antinomicam libertatem ita, vt corrum-
pat articulum iustificationis, in quo traditur solam fidem
apprehendentem meritum Christi esse necessariam ad
salutem. Ipse verò volens actere studium bene operandi
assuit necessitatem bonorum operum ad salutem, contra-
dicens apertè sacra scripturæ Haba. 2. Iustus fide sua vi-
uet. Item Rom. 4. Non operanti, credenti autem in eum,
qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam.

Item Zuuingliani & caluinistæ ita retundunt papisticã
transsubstantiationem panis & vini in corpus, & Sangui-
nem Christi in sacra Synaxi, vna cum sacrilego sacrificio
missæ, vt poenitus essentialẽ præsentiam corporis &

sanguinis Christi, pane & vino excludant, & longissimè
ad certum firmamenti locum alligent.

Planè ad hunc modum querimur & deploramus
virum tempore Interimistico præclare meritum de Ec-
clesia, & qui multos sectarios eruditè refutauit, D. Mat-
thiam Illyricum, in articulo de peccato originali ita mi-
serè lapsum, vt dum Victorinum suo Synergismo atro-
citatè peccati originalis extremè eleuantem, quasi ef-
fet simplex & munda corruptio accidentium tantum, si-
cut illitum magneti allium impedit eius vim trahendi
ferri, persequitur, & errores Pelagiani convincere cona-
tur, iusto longius euehatur. Et articulum de peccato ori-
ginali, tanquam pessimo Satanæ opere, ita exaggerat, vt
impingat in articulū creationis, vt propter opus Satanæ
neget & tollat ipsum opus Dei, neq; Deum conditorem
à Satana destructore satis discernat, & ita vi huius erro-
ris in multas blasphemias voces incidat, quòd Deus sua
maledictione concurrerit cum diabolo in condenda sub-
stantia peccati, deleta seu transmutata priore: Quòd na-
tura humana in Christo sit diuersæ speciei à nostra. De-
niq; qui Satanam destructorem in Pelagio ita vituperat,
vt cum Manichæis Deum creatorem & æternum fontem
omnis bonitatis simul contumelia afficiat, & de condito
malo culpæ suspectum reddat. Hæc tanq; noua, sacræ
scripturæ dissona, & fidem nostram erga Deum labefa-
ctantia, nequaq; ferenda sunt in Ecclesia Dei. Modere-
tur igitur suam sententiam ita, ne Satanæ diuina poten-
tia creandi substantias & formas específicas tribuatur, ne-
ue sanctissimo Deo vlla labes mali culpæ aspergatur, &
hoc pacto ex Diabolo ipse Deus ob potentiam, & ex Deo
ipse Diabolus ob malum culpæ fingatur. Sed Ecclesia
retineat

retineat causam tum celebrandi Deum conditorem pro
bonis suis adhuc reliquis ex creatione, tum etiam gemē-
di aduersus horrendam destructionem Satanæ, & Chri-
stum mediatorem & recuperatorem expetendi.

Grauitur etiam queruntur pij ob Illyrici subrici-
tatem, quòd interdum commodè, interdum incommodè
loquatur, vt repræhensus & taxatus ob falso & incom-
modè dicta, mox se tueatur comodè & verè dictis, & yo-
ciferetur, sibi ab antagonistis iniuriam fieri. Iudicet ipse,
an hoc sit pij candoris, prætextu veri vendere falsa, con-
tra mandatum Christi Matth. 5. Sermo vester sit Non
non & Est est. Non blandiatur etiam sibi Illyricus hoc
prætextu, quòd bona intentione reuocandi mundum ex
præsumptione ad pœnitentiam, & extrimulandi ad grati-
am Euangelij & retundendi Synergistas, vrgeat hanc
propositionem. Peccatum est substantia. Tradidit nobis
Deus verbum suum tanq; vnicum instrumentum con-
uertendi animas, & inuictum gladium & scutum aduer-
sus Satanam & omnes hæreticos. Hoc solo vult nos ædi-
ficare suam Ecclesiam, & vincere hæreticos, sine vllis ad-
ditamentis & bellis figmentis rationis humanæ, quibus
tanquam stramineis armis, non superatur, neq; abigitur
Satan, sed magis animatur & inuitatur. Acceperat Heua
à Deo verbum de non edendo fructu, in quo si constanter
& simpliciter perseuerasset, tuta mansisset, & de Satana
victoriam reportasset. Verum quàmprimum ex bona in-
tentione, conciliandi maioris ponderis gratia hæce duas
minutissimas vuculas NEFORTE, Item NE AT-
TINGATIS de suo addit, quarum neutram Deus po-
suerat,

fuerat, mox Satan inde animaduersa eius vacillatione,
quasi per rimam illabitur, & eam euertit.

Omittat igitur Illyricus Satanicas creationes sub-
stantiæ & transformationes essentielles, & nouas specifi-
cas formas, & maneat in simplici destructionis & corrup-
tionis termino, qui tam varijs vocabulis priuatim ab ip-
so Deo in eius verbo expressè positus, sonuit ab initio vs-
q; huc in tota Ecclesia, & satis robustus est sine aliena &
afficitia ope essentialium transformationū ad proster-
nendos & debellandos omnes Pelagianos & Synergistas.

Omnium enim fortissimè dimicat & hostem ferit, qui
armis in scriptura fabricatis vsitur, iuxta illud Pauli. 2.
Cor. 10. Arma militiae nostrae non sunt carnalia, id est, ex
carnali sapientia & bona intentione fabricata, sed po-
tentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus con-
silia demolimur, & omnem celsitudinem, quae extollitur
aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus om-
nem cognitionem ad obedientiam Deo &c. Nihil qui-
dem est difficilius, quam abicere tam bellas & concin-
nas cogitationes, quae omnium potentissimè videntur
euertere Synergismum. Sed e contra cogitet etiam Illy-
ricus, quam atroci contumelia afficiat Deum fingendo
eum socium Satanae in maledicta structura substantiae &
formae specificae peccati, sicut supra euidētibus & firmis
rationibus demonstravi. Item quantopere Deo displice-
at, quando eius cultus sine eius verbo ex propria intenti-
one promouetur. Quid sanctius erat, quam quod 2. Sam.
6. Vsa nutantem arcam manibus attrahat, & fulcit con-
tra ruis.

era ruina? Et tamen tanq[ue] sacrilegus violator & pro-
phanator eius morte plectitur. Deus enim vetuerat eam
promiscuè ab omnibus contrectari. Hæc tam atrox & in-
opinata poena Dauidem non minus offendit, atq[ue] fors-
tan hæc mea sententia D. Illyrico dura videbitur, ita vt
David mutauerit consiliu[m] perducendæ arcæ. Verum
postea re diligentius considerata retractat sententiam, &
suscipit perductionem arcæ legitimo ritu iuxta legem
Moy[s]i. *Illyricus autem aduersus me consors & munus
proph. 28. Sic ut in iactat voluntatem suam
adumbrat. Tibi monitionem prædi-*
Cum igitur Illyricus ex oppositis scriptis suorum
Antagonistarum manifestè videat, & tantum non mani-
bus palpet fulgorem veritatis, mirificè perstringentem
suos oculos & animum. Et Spiritum Sanctum per me &
alios fratres tam fideliter sibi ex lapsu erigendo manum
porrigentem. Obsecro & obtestor eum propter gloriam
Dei & afflictissimæ Ecclesiæ salutem, deniq[ue] & propter
propriæ salutis & conscientiæ periculum, vt det gloriam
Deo, agnoscat humiliter lapsum, corrigat & abiciat er-
rorem, redeat ad nostrâ castra, coniungat sua arma & do-
na nobiscum contra impias sectas, sicut antea fideliter
fecit, non cumulet in immensum ærumnas Ecclesiæ, non
impediat scandalis cursum Euangelij, non dedecoret
priora sua *κατορθώματα*. Non accersat sibi ipsi exitium,
quod apostolus Gal. 5. pertinacibus denunciâns in-
quit: Utinam abscindantur qui vos labefaciunt. Item si
alius aliū morderis & deuoratis, videte, ne vicissim ali-
us ab alio consumamini. Item Salomo. pro. 29. Vir qui
dura est ceruice contra increpationem subitò conteretur
absq[ue] villo remedio. *et tunc choro laudantis huius
igitur 3*

519 8 Confido quidem in Christo, D. Illyricum frater.
nam hanc & ex candido animo profectam admonitio-
nem & piæ sententiæ declarationem piè & candidè ac-
cepturum. Si verò præter meam expectationem (id quod
Deus clementer auertat) indulgens carnis affectibus me
quoq; tam probrosis conuitijs & diris imprecationibus
exceperit, sicut alios suos monitores, respondebo ei iu-
uante Deo, pro rei necessitate, licet sim quietis cupidissi-
mus, & consolabor me aduersus eius bruta fulmina dicto
prou. 26. Sicut auis in aëre volans neminem lædit: Ita
iniusta maledictio est innoxia. Non parum me perturba-
uit Illyricus publicatione priuatarum mearum litera-
rum me in seio & inuito, contra iura amicitia. Si plures
emiserit rogo pios ne offendantur, sed cogitent esse pri-
uatim scriptas in mutua collatione & inquisitione veri-
tatis. Ideo nihil vel præiudicare, vel derogare possunt
huic firmæ & demonstratæ meæ sententiæ.

Porro vigentibus & inualescentibus huiusmodi
controuersijs & certaminibus in Ecclesia, triplex potissi-
mum hominum genus inter spectatores solet inde exori-
ri, qui eis ad suam ipsorum perniciem abutuntur & iustam
reprehensionem commerentur.

Primum genus est neutralium, qui contra articu-
lum Symboli, credo communionem sanctorum, quasi re-
secta & mortua membra corporis Ecclesiæ certamina
alibi exorta nihil ad se pertinere putant, neq; excussis ac-
curatè & collatis scriptis se alterutri parti coniungunt,
sed tanq; choro saltantiū assidentes ociosi & securi ridet
& exagi-

& exagitant dimicantes, fingunt inanes λογωμαχίας, etiam si contentio sit de grauissimis doctrinæ articulis. Talibus tergiuersatoribus & desertoribus laborantis veritatis passim horribiliter Spiritus sanctus minatur. Veluti Ierem. 5. Maledicite habitatoribus Meros, quia non venerunt ad auxilium Domini, & in adiutorium fortissimorum eius. Item Amos 6. Væ illis qui non compatiuntur super contritione Ioseph. Item Hebr. 10. Non deseramus aggregationem nostri mutuam, sicut mos est nonnullis, sed adhortemur nos inuicem, id est, cōcurramus, & conferamus consilia non aliter atq; in publicis incendijs fieri solet.

Secundum hominum genus est profopoleptarum, qui vsq; ad eum in admirationem celebrium & illustrium personarum, quæ errorum accusantur & conuincuntur, defixi sunt, vt certò præsumant, maiora esse ipsarum dona, & præterita in Ecclesiam merita, quàm vt labi & errare queant. Ideò varijs modis eos excusant, & iniuriam eis inferri vociferantur. Hos reuocat Spiritus sanctus à respectu & fascino personarum, ad fundamentum scripturæ, tam testimonijs quàm exemplis scripturæ, vt non quis, sed quid dicatur attendamus. Ostendit enim in nullo hominum genere crebriores & grauiores lapsus accidere, quàm in excellentissimis viris, quando obliuimane imbecillitatis, existimant se extra omnem alexiam positos esse, contemplantur & admirantur sua dona & acta, & confidentia eorum ruunt extra metas, & sperant se in omnibus, quocūq; modo susceptis percurrere, & totam Ecclesiam ad applaudendum sibi pertrahere posse

posse. Quàmprimùm hæc Satanica superbia & præsumptio occupavit animos, mox discedit benedictio, & succedit maledictio Dei, vt teste Luthero, ex ego feci, fiant feces. Sicut Petrus 1. Epist. 4. inquit, Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam. Sic Salomo ex altissimo fastigio sapientiæ in imum fundum stultitiæ & idolatriæ ruit. Sic hodie multi præstantissimi viri miserimè euerfi sunt, & sub finem vitæ, cum iam coronam victoriarum videbantur accepturi, degenerarunt in meras pestes Ecclesiæ.

Hinc David Psal. 62. auocans nos à respectu personarum, tanq̃ à fallacissimo spectro & ludibrio inquit: Non tantum homines plebeios nihil valere, sed etiam magnos viros aberrare, & nullius planè esse ponderis, Deo subtrahente eis spiritum suum, tanquam verum pondus: Ideò in præsentis quoque certamine nemo respiciat ad personas, sed ad fundamenta scripturæ. Iuxta secundum mandatum Christi Iohan. 7. Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.

Terrium genus hominum est Donatistarum turba, imaginans sibi Ecclesiam sine vllis nauis & turbis tranquillam & florentem. Ideò quando audiunt vocem filij Dei, prædicantis suam sponsam: Tota pulchra es amica mea, & non est macula in te. Intuentur autem externum Ecclesiæ statum, quam deformis cruce, congesta paucitate, oppressa vi & fraude tyrannorum & hæreticorum, obscurata splendore mudi, squalida Zizanij, & turbulenta intestinis dissidijs sit: Acerbissimum dolorem con-

rem concipiunt, & fluctibus dubitationum concutuntur: An iuxta tertium articulum Symboli existat vllus coetus in terris, qui prædictæ voci filij Dei respondeat, saluificum deum verè colat, & ab eo vicissim præ omnibus alijs sectis diligatur, gubernetur & ad æternam beatitudinem conseruetur.

At spiritus sanctus docet sanctitatem Ecclesiæ omnibus numeris absolutam, & faciem eius per omnia nitidam & formosam, sulfuram esse in æterna patria, quando post militiam præsentis vitæ, à dæmonibus & impio mundo separata, præter carnem penitus exuta, & perfecta sapientia & iusticia ornata, Deum à facie ad faciem cernet, & cum sanctis angelis æternum triumphum ager. Sicut in Apocal. 22. Sub specie pulcherrimæ ciuitatis adumbratur, in qua Deus est omnia in omnibus, abstergens suis cultoribus omnes lacrymas, & in quam non intrat quicquàm inquinans, & abominationem & mendacium faciens, sed soli scripti in libro vitæ agni dominantur.

In militia autem præsentis vitæ, repræsentat Ecclesiæ coetus speciem militum, contra hostes belligerantium, & sudoribus, pulueribus & cruentis vulneribus operietorum. Præliatur enim a sidi dæ aduersus reliquias carnalis, insultus dæmonum, & illecebras mundi, idq; vario Marte, & strage mixta victorijs, ita, vt sæpe numero vsq; ad interuentionem deleta, & strata merito diceretur, nisi Deus tam sacro sancto iureiurando & fœdere irrevocabili se ipsum obstrinxisset ad eius finalem conseruationem. Si.

onem. Sicut ipse Esa. 54. affirmat, inquiens: Iuravi, ne irascat tibi montes enim commouebantur, misericordia autem mea non recedet à te, neq; foedus pacis meae vacillabit. Item Matth. 16. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Item Matth. 28. Ego sum vobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.

Idè cum in prædicto cantico canticorum dicit filius Dei: Tota pulchra es amica mea, & non est macula in te; intelligendum est partim imputatiuè, partim inchoatiuè, quod per fidem in Christum, & propter incorruptam doctrinam, tota sancta habeatur. Discedentes autem ab eius consensu, siue per falsas opiniones, siue per flagitiosos mores, in ordinem rediguntur, & incorrigibiles excommunicantur. Sic impoenitens Cain ab Adam, obstinatus Ham à Noa, Seditiosus Core & Dathan à Moise, perfidus Iudas à Christo, & alij innumeri excommunicati sunt iuxta præceptum Pauli. I. Cor. 5. profligate omnem, qui malus est.

Hanc descriptionem veræ Ecclesiæ manifestè supeditat nobis tertius articulus symboli, in quo expressè iubemur credere & confiteri, catholicam Ecclesiam esse sanctam, id est, Deo conformem & placentem, & tamen opus habere quotidiana remissione peccatorum, propter omnigenos lapsus & reliquias carnis.

Hinc ipsa Ecclesia & sponsa Christi cap. I. cantici canticorum se ipsam declarans & depingens inquit, Nigra sum

gra sum, sed formosa, quoniam aduffit me sol, Id est, pla-
ceo Deo per fidem & propter custodiam puri ministerij
verbi, licet oculis mundi ob crucem & varias confusio-
nes displiceo. Et mox addit: Filij matris meæ succensent
mihi, constituerunt enim me custodem omnium vinea-
rum. At ego ne quidem meam ipsius custodiri. Hoc est,
confortes eiusdem mecum religionis postulant à me, vt
sum toto corpore & omnibus membris sana & pura, alio-
quin scandalis & nœuis offensi resiliunt & deficiunt à me.
Verum & mihi propter reliquias carnis & insidias Sata-
næ impossibile est præstitum, in præfenti exilio huius mun-
di, ita vt sæpe in medio umbilico meo perniciofa certa-
mina & schismata nascantur.

Salsè quidem ridet nos Adiaphoristica secta & pa-
pistica turba, præsertim propter præfens certamen de
originali peccato, quòd, qui antea coniunctis viribus &
armis aduersus eos pugnauimus, nunc versis in propria
viscera gladijs instar Cadmeorum fratrum infestis sig-
nis concurramus, & mutuis vulneribus concidamus. Et
quidem ipsi dolenter ferimus, & fatemur valde miseran-
dum & pudendum esse spectaculum; veruntamen non
ferimus seminatores huius domestici dissidij liberè graf-
sari & impunè vagari, sed priuatim & publicè eos mone-
mus & repræhendimus, sicut sanum & vegetum corpus
per noxia vlcera scabiem & excrementa seipsum purgat,

Quin ipsi potius Adiaphoristæ sunt ridendi, qui
in suo corpore omnis generis feralibus & impuris spiriti-
bus, Sacramentarijs, Pelagianis, & Synergistis, Antino-
mis, Maioristis seu semipapistis & alijs infaustis auibus

scatent, & in suo sinu fouent, & eo nomine sibi blandiuntur tanq̄, pulcrā concordiam teneant. Cum reuera tanquā corpus prorsus morbidum & lethalibus vlceribus luridum colant, maledictā pacem in Satanæ mendacio, contra saluificā veritatem & contra eius auctoritatem Deum susceptam.

Filius Dei Spiritu suo sancto ducat nos in omnem veritatem, clementer sanet hæc tritissima vulnera, tollat scandalosissima schismata Ecclesiæ, erigat lapsos, & fascinosos præstigijs Satanæ, reprimat obstinatos blasphematores, & conferuet puritatem doctrinæ ad ampliandum suum regnum longè lateq̄, & destruendū regnum Satanæ. Amen,

Amen.

2. Iunij. 1572.



Quin ista potius Aduersarij sunt ridentia, qui in corpore non negantur scilicet & non sunt igniti. In sacramento, Pelagianis & Synergistis, Antinomis, Majoribus seu Campabellis & alijs insensibus super
E

